

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7





1772.

1. Heinitz, Christophorus Gold: De forma imperii Rom. Germ.
2. Heupfeld, Dr. Augustus: De iustitia pauperum Capitulorum  
praesertim in crimine furti periculosi et tertio secun-  
dem constitutionem Carolinam et jus Hamburgense.
3. Heupfeld, Dr. Augustus: De transmissione juris suc-  
cedendi antecessoris morte non velati.
4. Reichardt, Dr. Aug: De nomine Augustanae confessioni  
a d'ictorum, secundum Art. VII instr. pae. Onchung. pro-  
testantibus non communis, sed Lutheranis propriis.
5. Schmidt, Joach. Erdm: De confirmatione Divisionum  
Illustrium partim necessaria, partim profana. 2 Suppl.
6. Schmidt, Joach. Erdmann, Ord. Pub. Decanus: Programma:  
de episcopis villanis a Carolo M. prohibitis, quo  
Nicolaus Gershardi Fegge disputatis in ang. inditetur
7. Schmidt, Joach. Erdmann, Ord. Pub. Decanus: De religio  
Augustanae confessioni a d'ictorum nomine et vocabu-  
lura inter illos § 1 Art 7 1. P. O., quo programme  
Dr. Gotthard Frapier . . . Disputationem in ang. . . inditetur.

1772.

8. Walchius, Cor. Frid., Ord. jms. Decanus: De pace domes-  
tica. Singularia Germanorum instituta. Programma, quo  
Fr. Bern. Christoph. Wichmanni solamen ~~Reputationem~~  
indicit.
9. Walchius, Cor. Fridricus: De reliquiis communionis  
bonorum inter conjuges Brunsvicensis.
10. Walchius, Corollus Fridricus: De transita querelae  
inofficiori testamenti et heredes.

1773.

1. Schmidtus, Fr. Ludovicus: Jurconsult. ord. ex Decanus:  
Programma: De remediis jures, quae alienis institutis  
propter legitimam competunt, Fr. Christiani Corb.  
Förbringer. . . Dissertationi in ang. . . praemissionem.
2. Walchius, Corollus Fridricus: De uxoria proritate  
sub pelliata haereditate



1773

3. Walchius, Carolus Fridericus: De condominio successione  
fundamento in Gummee
4. Walchius, Carolus Fridericus: De Discrimine bonorum  
uxoriorum jure Rostochiensis part I. lit. 5. 51. sub  
lato

1774

1. Herentien, Daniel Henricus: De separatione a thoro  
et mensa.
2. Walchius, Carolus Fridericus: De privilegio medicorum  
creditorum in concursu.
3. Walchius, Carolus Fridericus: Commentarii hereditatis  
forma selectis in Hamburgensibus proscripta.

1775

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]*





E. 20. num. 80.

DISSERTATIO IURIDICA

1773, 4

15

DE

DISCRIMINE  
BONORVM VXORIORVM

IVRE ROSTOCHIENSI PART. I. TIT. V. §. I.

SVBLATO

QVAM

PRAESIDE

CAROLO FRIDERICO WALCHIO

I. V. D. AC PANDECT. PROF. PVBL. ORDINARIO SERENISS. DVC.  
GOTHAN. ET ALTENBVRG. CONSILIAR. AVLIC. CVR. PROVINC.  
SAXON. COMMVN. SCABINOR. COLLEGII AC IVRECONS. ORDINIS  
ADSESS. SOCIET. LATIN. IENENSIS EPHORO ET FLORENTINAE  
COLUMBARIAE DVISVRG. AC BREMENS. LITTER. COLLEGA

H. T. ACADEMIAE RECTORE MAGNIFICO

D. XVII. APRIL. CIOIOCCCLXXIII.

PVBlico EXAMINI SVBMITTIT.

A V C T O R

IOANNES CHRISTIANVS PRIES

ROSTOCHIENSIS.

IENAE

LITTERIS STRAVSSIANIS.





DISCRIPTIONE  
BONORVM VIXORVM  
IN RE ROSTORINGI PART. I. ET V. 1.

PHASES  
CAROLO FRIDERICO WALCHIO  
IN RE ROSTORINGI PART. I. ET V. 1.

IN RE ROSTORINGI PART. I. ET V. 1.  
EXAMINIS SVBMITTIT  
A V C T O R  
IOHANNES CHRISTIANVS PETERS







## SECTIO PRIMA

DE DISCRIMINE BONORVM VXORIORVM DOTA-  
LIVM ET PARAPHERNALIVM, IVRE STATV-  
TARIO ROSTOCHIENSI SVBLATO.

§. I.

*Instituti Ratio.*



Prudenter et accurate viros plerosque eruditione  
conspicuos, doctrinam de bonis vxoriis iam  
pertractasse, non me quidem fugit, ideoque  
forfan non deerunt, qui primo obtuitu me  
acta agere, aliorum expilare scrinia et quid-  
quid iam in medium est prolatum, hic accumulare, arbi-  
trantur. Quum autem in sanctionibus provincialibus et  
statutariis multa constituta legamus, quae a iure communi  
quam





quam maxime discrepant, ira et dispositio iuris statuarii Rostochiensis, quae omne bonorum vxoriorum tollit discrimen, plane est singularis et a iure communi diuersa. Hoc speciali igitur libello exponere animo mecum constitui, primoque discrimen bonorum vxoriorum Romanorum determinabo, deinde rationem, ob quam Rostochiensis illud sustulerint, indicabo, tandemque effectus inde proficiscentes definiendo dabo operam.

## §. II.

### *Discrimen bonorum vxoriorum Romanorum.*

Bona Dotalia et Paraphernalia duo saltem bonorum vxoriorum erant genera, quae iure cognita erant Romano: Dotalia, quae marito ad sustinenda matrimonii onera ab vxore inferebantur, in patrimonium et dominium mariti transibant; ob naturale autem, quod penes vxorem remanebat, dominium, non perfecte, ideoque etiam alienatio et oppignoratio fundi dotalis vxoris marito haud erat permissa. *a)* Quod autem ad bona attinet paraphernalia, quorum nomine omnia illa bona, quae vxor marito praeter dotem inferebat, sunt intelligenda, marito neque dominium neque vsusfructus, immo ne quidem administratio compete-  
tebat; ideo vxor plenum retinebat dominium, perfecte de iis disponere, et si maritus vxore non contradicente administrabat, ad rationes administrationis suae reddendas, omniaque quae ex ea perceperat restituenda, cogi poterat. *b)*

*a)* L. 30. C. de Iure Dotium.

*b)* L. 8. C. de Pactis Conuentis, et L. 95. pr. D. ad L. Falcidiam.

## §. III.



§. III.

*Germani tollebant discrimen Bon. Vxor.*

Germani, maiores nostri, quae alias de discrimine bonorum iure sanciebantur Romano, penitus tollebant, neque vllum inter bona vxoria fecerunt discrimen, potius omne vxori tribuebant dominium, administrationem autem et vsum fructum marito solummodo permiserunt. Post autem recepto in Germania iure Romano, iterum illud introductum est discrimen, et dotalibus bonis et paraphernalibus adhuc adnumerarunt recepticia (*Spiel f. Spill Gelder*) quorum et proprietatem et administrationem nec non vsum fructum, verbo, omnia sibi reseruauit mulier.

BERGER diff. de discrimine bonorum vxoris.

§. IIII.

*Ita et ius statutarium Rostochiense.*

Quae tamen Germanorum sancita post receptum ius Romanum iterum in desuetudinem abire ceperunt, nonnullisque statutariis legibus particularibus fuere sublata. Per multa hic recensere possem, in quibus, si in hisce statutis dotis fit mentio, omnia semper illata significantur mulieribus. Sed ea, quae in rubro dissertationis meae promiserim vt adimpleam, locum nunc statutarii iuris Rostochiensis in medium proferam, qui omne bonorum vxoriorum tollit discrimen. Disponit enim Part. 1. Tit. v. §. 1. *Alles Gut einer Frauen es mag dem Manne bey der Ehe zugebracht, oder demselben während der Ehe anbeimgesfallen seyn, soll als Brautsehatz angesehen werden, mithin die nach gemeinen kaiserlichen Rechten geltende distinction inter dotem et paraphernalia gänzlich wegfallen.*

A 2

§. V.





## §. V.

*Ratio proxima huius dispositionis in receptione iuris  
Lubecensis ponitur.*

Hanc quam ob rationem Rostochienses in iure statuario adducto iuris communis non retinuerint dispositionem, nobis nunc erit disquirendum, et nisi omnia me fallunt, proxima in receptione iuris Lubecensis latitat. Re autem vera Rostochienses ius recepisse Lubecense, paucis nunc demonstrabo.

## §. VI.

*Rostochienses ius receperunt Lubecense.*

Quemadmodum in plerisque tractus Megalopolitani ciuitatibus ius viget Lubecense, ita et in primis Rostochio, patriae carissimae, ducatus Megalopolitani oculo, vrbi incolis, domibus, commerciis et priuilegiis florenti, Principum consensu et indulgentia statuta concessa sunt Lubecensia, Henricus enim Bureuinus II. eiusque filii Henricus et Nicolaus anno *CIÖCCXVIII.* Rostochiensibus vsum iuris Lubecensis concesserunt, quem Henricus et Albertus anno *CIÖCCXXIII.* confirmarunt. *a)* Neque equidem infitias eo, Rostochienses etiam ius Suerinense in vsus suos conuertisse, quid? quod priuilegium statuta conficiendi accepisse; attamen vrbs Rostochium post nonnullas cum Principibus suis initas Transactiones de *CIÖCLXXIII.* et *CIÖCLXXXIII.* ita inter se conueniunt, vt conficerent nempe ius statutarium perpetuum, idque typis expressum omnium subicerent oculis. Huius de confectione solliciti, in initaque conuentione adimplenda occupati, senatus Rostochiensis in eo erat, vt promisso staret fidelissime. Exstabat ius Lubecense, cuius summa aequitas aliis ciuitatibus erat admirationi, ducebant-





bantque sibi beneficio, sese istius iuris fieri participes, quod ciuitas florentissima felicissimis condidisset auspiciis, quodque vtilissimum esse reipublicae diuturno tot saeculorum vsu perspexisset. Illud Rostochiensēs, quatenus transactionibus cum Principibus initis erat consentaneum, accipiebant, supremisque Stratibus Megalopolitanis insinuando deederunt operam. Hisce et proloquium, iuri Lubecensi praemissum, adstipulatur, licet expresse ciuitatis Rostochiensis non meminerit, quum ob excellentiam prouinciae nomen ceu matris vrbium Megalopoleusium non inconcinne huic adoptetur filiae, praesertim aliis adminiculis in hoc concurrentibus. b) Comprobat quoque adhuc vsus huius iuris Lubecensis in patria mihi dulcissima, iudicium eorum, qui vt sacerdotes iustitiae constituti, omnium ordinum, toto die in respondendo et sententiis suis, ius Lubecense sequuntur et seruant. Quid? quod celeberrimi Germaniae Acti, cum primis excellens iste SCHVRRFFIVS, KIRCHOVIVS, RVDÉLIVS, GRASSIVS et COTHMANNVS clare illud attestantur.

a) Priuilegia exhibet LVNIO in *Reichs-Archiv Parr. Spec. Contr.* IV. Fortsetzung pag. 681. 682. 685.

b) vid. SIBRAND in *Tr. de Iure Publ. Ciuitatis Lubecensis Parr.* I. Sect. X.

### §. VII.


*Causa remota determinatur.*

Rationem proximam sanctionis iuris statutarii Rostochiensis sicuti (§. V.) in receptione iuris Lubecensis posuimus, ita nunc ad causam progrediamur remotam eamque etiam sine verborum ambagibus examinabimus.

A 3

§. VIII.





## §. VIII.

*Germani dotem ignorabant.*

Substantia illa, quacum nostris temporibus vxores initio matrimonii maritos beant, vt ex eius emolumentis in matrimonii oneribus sustinendis subleuentur, aliis quemadmodum populis, ita et maioribus nostris plane fuit incognita. Mos potius populorum erat antiquissimus, vt, vbi in proprium vxor esset acquirenda, ista quasi emeretur, et stabili deuinciretur coniugio. Quam ob causam plerumque symbola, arrhae, munera, pretium, nummi, solebant interuenire. Quum enim liberi et filiae praecipue, sub patria essent constitutae potestate, fas erat, vt inde prius pretio redimerentur, antequam Lares salutarent mariti, inque domum abductae illius tamquam noui domini subiicerentur imperio. Testatur illud TACITVS; a) „dotem non vxor marito sed maritus vxori offert. Intersunt parentes et propinqui et munera probant: munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus noua nupta comatur; sed boues et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. In haec munera vxor accipitur, atque ipsa armorum aliquid viro offert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrantur. Ne mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus se putet, ipsis incipientibus matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculatorumque sociam, idem in pace, in praelio idem passuram ausuramque. Hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic viuendum, sic pereundum. „ Haecce apud Tacitum munera a multis quidem misceri cum dote, non me fugit; sed salua res est, semperque manebit, si paulo accuratius eandem examini subiciamus, certissimumque est statuendum, munera et dotem pactitiam toto caelo fuisse diuersa. Germanos enim etiam illa munera, quae a sponso allata parentes pro-



probabant, dotem appellasse dotem ex lege seu ex more; sed quae prorsus a dote peculiari pacto vxori destinata et dicata differebat, extra omne dubium est collocatum. Et licet interdum filiabus etiam amplissimus apparatus et instructus muliebris contigerit, multaque ad instruendam maritalem oeconomiam attulerint, illud tamen neququam cum dote nostra hodierna poterit comparari. Potius illud sub nomine Faderphii veniebat, quod pecus exprimere videtur paternum, leges autem Longobardorum *b)* dicunt: id est, de alio dono, quantum pater aut frater dederit ei, quando ad maritum ambulauerit. Et alio loco Faderphium appellatur, quod de parentibus suis abduxit.

*a)* de Moribus Germanorum Cap. 18.

*b)* Lib. II. Tit. XIV.

S. IX.

*Ita et Lubecenses.*

Ius quoque Lubecense, vt alia iura statutaria silentio praeteream, quoad hanc materiam iura patria conseruauit castissime. Ob communionem bonorum enim illud inter bona vxoria nullum admittit discrimen, bonaque dotalia, notatione iuris Romani talia, Lubecensibus plane sunt incognita. Quae enim in iure Lubecensi sub nomine *des BrautSchatzes* occurrunt bona, eandem cum iis habent naturam quae vxor postea constante matrimonio acquirit, neque vlla gaudent praerogatiua. *a)* Et licet totus de dote eiusque priuilegijs in iure Lubecensi extet titulus, nullo modo hic dos intelligitur Romanorum, sed partim hac sub denominatione ea bona, quae vxor marito initio matrimonii infert, intelliguntur, partim autem vt Lubecenses ius Romanum, quippe quod speciali titulo iura dotis exponit, sequerentur.

(a)





a) Ius Lubecense Lib. I. Tit. 5. Art. 6. 7. 13. et 15. Lib. II  
Tit. 2. Art. 12. Lib. III. Tit. 1. Art. 9.

§. X.

*Maritus uxoris erat Curator Iure  
Germanico.*

Alia autem, praeter hanc in antec. §§. enucleatam rationem, adest, quae in eo consistit, quod nempe maritus uxoris suae erat curator. Feminas enim sub perpetua fuisse tutela, ex antiquissimis iamiam patet scriptoribus Germanicis. Caesarem solummodo et Tacitum, testes omni maiores exceptione, nominare sufficiat. Prior horum licet in commentario suo de Bello Gallico et Ciuili Lib. vi. de Bello Gallico Cap. xviii. et xxi. expresse de Gallis tantum annotauerit, illos feminas suas et bona earum in perpetua tutela et potestate habuisse, attamen et tacite consuetudini Germanorum, vxores in perpetua extitisse tutela, innuere videtur. Posterior autem, quem nominauimus, TACITVS, testis sane locupletissimus, rem optime in libro suo *de moribus Germanorum*, euincit. Ille enim, maiores nostros maris naturam digniorem et imperantem agnouisse, ideoque etiam maritorum imperio vxores subiecisse, perhibet. Verustissimae praeterea adhuc illud comprobant leges, et infrequentia tempora idem illud testantur. Quum enim in ipso Saxoniae inferioris tractu ius Saxonicum, in aliis prouinciis aliae leges patriae et statuta in scripturam redigere ceperunt, eandem quoad tutelam in vxores retinuerunt dispositionem. In iure prouinciali Saxonico a) de tutela ista maritali insignis occurrit locus: „Vnd obwohl ein Mann seinem Weibe nicht ebenbürtig wer, ist er doch ihr Vormund, vnd sie ist seine Gerosin, vnd tritt in sein Recht, wenn sie in sein Bette tritt. Wenn er aber stirbt, so ist sie



ſie ledig von ſeinen Rechten, vnd behält dann ihr ſelbſt Rechte nach ihrer Geburt. Vnd darum muß auch ihr Vormund ſeyn ihr nächſter ebenbürtiger Schwerdmage vnd nicht ihres Mannes. „ Ius quoque prouinciale Sueuicum Cap. 309. de tutela illa in mulieres agit b) et quidem: *Iſt ain Man, ſeinem Weib nit ewenbürtig, er iſt ir Vormund, und iſt ir Voit und iſt ſie frei, ſo muß doch ſein Genoffin ſeyn, als ſy an ſein Pett geht, und gewinnet ſie Kind, dy geböret zu der ergern bant.* Speculator Sueuicus idem de mulierum proferat tutela. Sancit enim: c) *Der Frauen Pfleger etwo haiffent ſicher Poten, etwo Vormund, etwo Vogt, etwo Behalter, dy ſolln all getru Lait ſeyn.* Et alio loco ita: *Iſt ain man ſinem uewe nit ebenbürtig, er iſt doch ir uormunt d).*

a) Ius Prov. Saxonicum l. 43.

b) ex editione IOH. FR. SCHANNAT, *LandRecht* Art. 107. *Sammlung alter hiſtoriſcher Schriften* Tom. I. pag. 227.

c) Art. 108.

d) Ius Prouinciale Alemannicum Cap. 382. apud Schilterum Tom. II. fol. 219. et Cap. XI. §. I. ibidem fol. 10.

§. XI.

*Et Lubecenſi.*

Hanc communem totius Germaniae fuiſſe conſuetudinem, luculenter quin poſſet demonſtrari, non dubitamus, ſi iam per ſtatuta ire vacaret, atque excutere paulo diligentius. Quum autem de inferiore Germania eo minus liceat dubitare, quo certius conſtat, in ea Iura Saxonica vel Lubecenſia, quae maritum vxoris eſſe tutorem diſerte iubent, vbique fere floruiſſe; nunc itaque adhuc ius ſolummodo Lubecenſe illiusque diſpoſitionem

B

quoad



quoad tutelam mulierum attingamus et accurate proponamus. Cauetur enim: a) *Dass keine Frau ihr Gut verkauffen möge noch versetzen ohne ihrer Vormünder Vollworb, Wissen und Willen; so mag auch keine Frau höher Bürge werden ohne Willen der Vormünder denn vor dritthalb Pfennig, ausserhalb derer, welche Kaufmannschaft, Handel und Wandel treiben, was dieselben geloben, dass müssen sie gelten und bezahlen.* MEVIUS in commentario suo ad *Ius Lubecense* tutores, quinam Lubecae sint, describit, dicens: b) *Vxores ex coniugio maritos curatores habere, quorum consensu in alienationibus et contractibus vtuntur, ac proinde eos: eheliche Vormünder dicit solere, immo, non alium, praeter maritum, curatorem, quod nonnullis visum sit, desiderari, nisi forte cum maritis, vel in rem vel in commodum eorum, contrahatur. Quod etiam ipsi iuri Lubecensi est consentaneum, quod diserte alibi c) sancit: vt virgines sub perpetua maneant tutela, verbis: Bist sie zu der Ehe schreiten. Nam simul ac nupserant, et in mariti domum sunt deductae, ait MEVIUS d) maritum habent curatorem, qui tutorem liberat ab onere isto, et ipse tutoris loco est.*

a) *Lib. I. Tit. X. Art. I.*

b) *ibid. no. 17. et 18.*

c) *Lib. I. Tit. VII. Art. I.*


d) *ibid. no. 21.*

## §. XII.

*Marito iure Germanico competit administratio et ususfructus.*

Ne autem a perpetua in mulieres et praecipue in feminas tutela omne alienum sit lucrum, ea cum administratio-





nistratio bonorum vxoriorum eorumque coniunctus est vsusfructus. Quemadmodum enim aliae Germanorum tutelae, ita et in primis maritalis illa admodum fuit fructuaria. Iure iamiam Saxonico cautum legimus: a) *Wann ein Mann ein Weib nimmt, so nimmt er in seine Gewehr alles ihr Gut zu rechter Vormundschaft.* Et paulo post: b) *Der Mann mag an seines Weibes Gut kein ander Gewehr gewinnen, denn als er zu dem ersten mit ihr empfang in Vormundschaft.* Ex quibus satis elucescit, iure Saxonico maritum omnium bonorum vxoriorum fuisse administratorem, neque inter bona dotalia et paraphernalia c) iure veteri Germanico aliquid fuisse discriminis, sed maritus potius, tanquam tutor vxoris suae legitimus illis vtebatur, fruebatur ac suis.

- a) Ius Prou. Sax. I. 31.  
b) *ibid.* sub fine.  
c) BERGER in *diff. de discrimine bonorum vxoriorum* §. 17. et GAERTNER in *diff. de distinctione inter dotem et paraphernalia* §. 6.

### §. XIII.

#### *Et Lubecensf.*

Iura etiam Lubecensia marito in bonis vxorum concesserunt vsusfructum. Ille enim, quoniam, vti supra ostendimus, tutor vxoris suae est perpetuus a), actiones eius et facultates dirigit b), imperium quodammodo in eam habet c), bona quoque administrat et vsusfructum percipit d).

- a) *Lib. I. Tit. 7. Arr. 4. et 12.*  
b) *Lib. II. Tit. 1. Arr. 10. et 14. et Lib. III. Tit. 6. Arr. 13.*  
c) *Lib. I. Tit. 5. Arr. 10.*  
d) *Lib. I. Tit. 5. Arr. 8. 9. et 10. et Lib. II. Tit. 2. Arr. 12. et 28.*





## SECTIO SECVNDA

DE EFFECTIBVS, EX HOC SVBLATO DISCRIMINE  
BONORVM VXORIORVM PROFICISCENTIBVS.

### §. I.

#### *Transitus.*

Pertractata sectione praecedente ratione, Rostochien-  
ses quam ob causam in iure statuario omne bonorum vxor-  
iorum sustulerint discrimen, hac, quosnam effectus produ-  
cat, paucis adhuc monstrare iuuabit. Et ratione mariti et  
vxoris hac ex sublatione discriminis bonorum oriri effectus,  
quilibet vt arbitror concedet, praecipue autem eos intuitu  
vxoris disquirere studebimus, attamen, vt antequam  
ipsum aggrediamur opus, paucis quoque effectus, ratione  
mariti sese exerentes, attingamus.

### §. II.

#### *Effectus ratione mariti.*

Distinctione inter bona dotalia et paraphernalia cel-  
sante, quid sole clarius, quam in omnibus bonis vxoris  
et administrationem et vsumfructum viro quoque com-  
petere, veteremque dispositionem iuris Romani, vi cuius  
in bonis paraphernalibus vxoris marito neque dominium  
neque de fructibus disponendi facultas competebat, sed  
vxori manebat libera, ita vt a marito, qui eius consensu  
haecce administrabat bona, rationes, et restitutionem eius,  
quod residuum erat, exigere posset, cessare. Sed ne ea,  
quae iam supra in medium sunt prolata, reiterare videa-  
mur, hanc de administratione et vsumfructu bonorum ma-  
teriam



teriam silentio praetereamus, lectoremque ad sectionem  
 ablegamus praecedentem. Ex quibus pronò quasi alueo  
 porro fluit, maritum, si in iudicio ipse vxoris nomine agit,  
 aut actione contra eum intuitu bonorum vxoris suae initi-  
 tata, sine legitimatione speciali et cautione de rato praestita  
 profequi eam posse, quoniam, quae constante matrimonio ac-  
 quiruntur, omnia mariti esse praesumuntur, quid? quod etiam  
 quae ex singulari studio, opera et diligentia vxoris profi-  
 cisuntur, quoniam vniuersalis bonorum adest communio,  
 eaque omne hocce tollat discrimen.

§. III.

*Effectus intuitu vxoris.*

Continuabimus autem ea, quae incepimus, effectusque  
 vxoris intuitu hac ex sublatione discriminis bonorum resul-  
 tantes, pluribus verbis exponere studebimus. Vxorem et  
 viuente marito et post huius obitum bona illata posse repe-  
 tere, non expediti solum est iuris sed et quotidiana docer-  
 experientia. Quum autem multi hac in materia occurrant  
 casus, qui merito a se inuicem debent distingui, de singulis  
 singulatim agemus.

§. III.

*In concursu creditorum.*

Praecipue effectus ratione vxoris sese exerit tunc, si ma-  
 riti bona regulariter omnibus ad satisfactionem non suffi-  
 ciunt, creditoresque confluunt, vt pecuniam vel res con-  
 creditas in iudicio repetant. Quorum inter numerum  
 haud raro vxor ratione vniuersitatis rerum, quas a marito  
 domum deducta ad ferenda matrimonii onera intulerit,  
 locum tueri studet praecipuum. Ius Lubecense, ad eui-  
 tandas omnes creditorum inter se altercationes, hac de re





in iure statutorio, prouti in omnibus materiis, ita etiam in hac, disposuit sapientissime, duosque a se inuicem distinxit casus, an nempe matrimonium fuerit foecundum an improle. Varios autem effectus huius distinctionis nunc ostendam.

§. V.

*Si matrimonium est foecundum, vxor pro marito debitore soluere debet.*

Primo igitur casum, si maritus obaeratus ex vxore liberos susceperit, illique adhuc excitato creditorum concursu in viuis sunt, quid tunc intuitu solutionis ex bonis illatis vxoris iuris sit, inuestigabimus. Ius Lubecense, Lib. I. Tit. v. Art. vii. et Lib. III. Tit. I. Art. x. disponit, eam tunc ad omne aes alienum mariti exsoluendum esse obligatam, sicque omnibus postponi creditoribus. Quacum etiam conuenit ius statutarium Rostochiense Part. I. Tit. v. §. VIII. Tamquam correa debendi igitur obnoxia est creditoribus suaque bona illis aequae cedere tenetur, neque quidquam repetit ex his, quae ad maritum sunt allata. Nullum quoque discrimen hic inter bona, siue sint dotalia siue illata sine stante matrimonio acquisita, locum inuenit; sed omnia ad creditores soluendos impendunt. I. St. Rostoch. Part. I. Tit. v. §. IX. Paria quoque sunt hoc loco, liberos esse natos aut vxorem esse praegnantem. Germani enim licet ad connubialem bonorum communionem conscensionem thalami solummodo requisierint, et ita demum matrimonium pro consummato habuerint; Lubecenses tamen adhuc existentiam liberorum super thori requirunt conscensum. Quis autem neget, viduam a marito impraegnatam, viduam matrem esse habendam? Quamuis enim nasciturus pro nato habeatur, quoties de eius agatur fauore, attamen quoque natiuitas postumi, vti prodest, ita etiam obest matri viduae pro diuersitate circumstantiarum. Ius Lubecense tamen Lib. II. Tit. II. Art.





xxx. hoc in casu disponit: *Sie soll so lange in des Mannes Gute bleiben, und aus dem gemeinen Gute nicht gewiesen werden, bis sie der Geburt genesen.*

§. VI.

*Huius constitutionis ratio.*

Haec autem dispositio durum quoddam licet in se contineat, quum vxori, quae ciuibus et forsam liberaliter educatis auxit ciuitatem, beneficia merito conferenda et in sustentationem liberorum alimenta quaedam essent assignanda; contra ea improlis, a petitionibus creditorum libera, sterilitatis habeat praemium: attamen vt durum sit, tamen id, quoniam statuto scriptum vsuque inualuit, seruandum erit merito. Quam autem ob rationem ius Lubecense a iure communi, quippe quod vxorem pro debitis mariti et vice versa maritum pro debitis vxoris non obligari, nedum conueniri posse, disponit *a*), recesserit, vxoriquae durum hoc onus inposuerit, in eo doctores valde defudarunt. Maxima eorum pars contendit, eam in fauore commerciorum et vtilitate certius negotiandi praesertim vt eo tutius exerceantur, collocari debere; dubium quum non esset, statuta, quae mercatoribus consulerent, ad statum ciuitatis publicamque pertinere vtilitatem. Quae licet sententia solida, neque vlla reprehensione digna esse videatur, aliam tamen adhuc addam, quae, vt ego quidem opinor, rei magis erit consentanea. Communio etenim bonorum, inter coniuges iure Lubecensi obtinens, vera huius dispositionis ratio mihi esse videtur. Ea enim quum in amore coniugali sit posita, quae per communicationem corporum carnalem, per concubitum facta, declaratur, certo certius autem illa ex procreatione liberorum vel saltem vnus prolis sese exserit, causam communionis immo ipsam adesse communionem luculenter satis patet. Haec vti ad quamuis Iuri communio-

nem





nem, ita etiam ad aeris alieni conflati communicationem, recte trahitur, videlicet quum iura sint reciproca, b)

a) L. I. L. 3. et Tot. Tit. C. ne vxor pro marito.

b) AMANDI CHRISTIANI DORN *Problema iuris Lubecensis: Quanam sit ratio ut communio aeris alieni inter coniuges existat, si matrimonium prole diuatum, nulla si sit improle?* Kil. 1738.

§. VII.

*An vxor teneatur, si liberi ex matrimonio suscepti sunt praemortui?*

Alia autem est quaestio, an vxor creditoribus mariti obligetur, licet liberi, ex isto matrimonio suscepti, fuerint praemortui? Anceps huius propositionis est dubitatio, et licet sint, qui affirmatiue eam decident, iure meritoque tamen et ex ipsis legibus negatiuam tueor sententiam. Liberi enim si ante motum concursum moriantur, vinculum quasi communionis bonorum relaxatur, vxorque pro improli habetur. Communione autem bonorum cessante, effectus quoque cessant, ideoque etiam obligatio vxoris ad soluendum aes alienum mariti. Sed et ipsum si prouolutemus ius Lubecense, textus occurrunt, nostram qui confirmant adductam sententiam, Art. enim vii. Lib. 1. Tit. v. disponit, *bat er denn Kinder*, et itaque per verba praesentis temporis loquitur, ex quibus ad praeteritum inferri non poterit. Qui adhuc plura desiderat exempla, illum ad Lib. II. Tit. II. Art. xxvi. xxvii. et xxviii. ablegamus, vbi eadem occurrunt verba, itidem ad Art. v. Tit. v. Lib. 1. vbi: *Läßet keine Kinder von ihr*, ideoque requiritur, non vt habuerit solum, sed etiam reliquerit liberos diem suum obiens supremum. Et quid per voces: *Beerbet und unbeerbet*, quibus ius Lubecense, quoties de obligatione mulierum



loquitur, vtitur Lib. III. Tit. I. Art. VIII. et X. aliter significatur, quam tunc vxorem teneri, si maritus ex ea heredes, qui adhuc in vniuersis sunt, reliquerit? tandemque vsus loquendi communis, qui in explicandis statutis maxime solet attendi, meae patrocinator sententiae, dummodo *Beerbtte Frauen* eas appellamus, quae aut liberos habent ex marito, aut eo mortuo habuerunt. Ex quibus ipsis iuris Lubecensis textibus prono quasi fluit alueo, vxorem, licet ex matrimonio liberi fuerint suscepti, ante tamen concursum creditorum praemortui, ad solutionem aeris alieni mariti nullo modo esse obligatam. Appendicis loco textum adhuc iuris statutarii Rostochiensis proferam, quippe qui eandem retinuerunt iuris Lubecensis sanctionem. Parte I. Tit. V. §. VII. enim, vbi sermo est de vxore improbi bona illata repetente, verba occurrunt sequentia: *Wann sie auch gleich vorhero Kinder mit ihrem Manne gehabt hätte.*

§. VIII.

*Si matrimonium est improle, vxor pro marito non soluit.*

Longe autem alia est ratio, matrimonium si prole non fuerit ditatum, et post obitum mariti concursus existat creditorum. Quemadmodum obstricta est vidua mater tristissima necessitate vi bonorum communionis ex propriis etiam illatis aes alienum defuncti mariti soluendi; ita legislatores Lubecenses inter beneficia quibusdam in concursu creditorum concessa creditoribus, vniuersitati illi rerum, quas vxor, a marito domum deducta, in eam ad ferenda matrimonii onera indomuit, et post mortem mariti nullos relinquit liberos, praecipuum merito locum dederunt prudentissime. Ius enim Lubecense Lib. III. Tit. I. Art. IX. disponit: *Verstirbt ein Mann mit seiner Frauen unbeerbt, so gebet die Frau mit ihrem*

C

ihrem





ibrem Brautschatze, Kleidern, Kleinodien, und jungfräulichen Eingedönte und was sie ihm zugebracht, vor allen Creditoren, atque adeo omne vxor, quod marito intulit, antequam vlli quid praestetur creditori, poterit auferre. Ea enim quae adhuc in patrimonio debitoris concursum excitantis erant, rei vindicatione repetit, quae re vera ad bona debitoris non pertinent, quae autem iam sunt consumpta, vel deperdita, pro iis alia, quae vice eorum fungi possunt, sunt praestanda, pecunia nimirum parata aut alia res in solutum danda. Neque vllum attenditur discrimen, bona an sint dotalia an paraphernalia, quia illa in vnam quasi naturam ius transformauit Lubecense, illaque, quae vxor ad communionem attulit, vno nomine, *des BrautSchatzes*, comprehenduntur. Sed de his infra pluribus.

§. VIII.

*Huius privilegii ratio.*

Maximus sane est, quem Lubecenses coniugi improbi tribuerunt fauor, quod ab omni obligatione soluta, creditoribus mariti obaerati praedefuncti nullo modo debet facere satis, sed potius illata repetit, suaque bona facta re-ctaque habet. Non autem est re vera, quod miremur, tantis beneficiis Lubecenses vxores beasse, qui sobolem non procrearunt, quum maxime reipublicae haec sancita sint vtilissima. Fauorem dotis, iure communi, et in concursu creditorum et in causis, vbi magnum bonorum vxoriorum imminet discrimen, silentio praeteream, rationem quum imperator IVSTINIANVS in L. 12. C. qui potiores in pig-nore, luculenter demonstrauerit. Lubecenses potius, quam ob causam in iure statutorio tanta prae vidua matre ornarunt coniugem improlem praerogatiua, cognoscamus. Dos enim, cum vxorum conueniens statu, efficit, vt nubendi adi-



adipisci possint conditionem idoneam, qua autem destituta, nubendi deficit occasio, indignam personis quas sustinent viuendi eligunt rationem, et marito gentique dedecori, reipublicae autem vniuersae odio sunt et detestationi. Vxoribus quoque semper est solatio, quae illata repetunt, ne praeter orbitatem nullamque spem ex liberis, omni priuata sint voluptate. Illis vero, quibus sui maritus inquit imaginem, ad fidei maritalis imminutionem et liberorum pericula noluit esse ad iterum nubendi occasiones benignum. Accedit adhuc, quod in coniugio improli maritus et vxor pro vna non habeantur persona, communio quoniam bonorum liberorum tantum procreatione plane firmatur, vti supra iam diximus, ideoque ex iis ratio patet, ob quam viduala, ad eiusmodi defuncti mariti nomina expungenda, nullo teneatur modo.

## §. X.

*Quaenam bona vxor improlis ex concursu creditorum possit repetere?*

Coniux improlis illata potest repetere. (per §. 8. et 9.) Quibus praeter vxorem adhuc illata in concursu creditorum repetere competat, animus nobis non est disquirere, sed ea solum bona, quae isto gaudeant priuilegio, examinabimus. Art. ix. Tit. i. Lib. III. iuris Lubecensis rem optime euincit, eumque etiam in proponendis illis rebus, quae repeti possunt, sequamur. Sancit enim: „mortuo debitore, qui soluendo non est, vxor improlis relicta, in dote, vestibus, ornamentis, virginali supellectili, et quidquid denique marito intulit, omnibus praefertur creditoribus. „ Quisnam hic statim non animaduertet, discrimen inter bona dotalia et paraphernalia penitus esse sublatum, et horum repetitionem eodem quo illorum gaudere priuilegio.



## §. XI.

*Repetitur dos.*

Primo itaque vxor improlis reperit dotem, omnibusque in ea praefertur creditoribus. Liceat nobis quoad dotis repetitionem in concursu creditorum ad ius Romanum recurrere, paucisque, quibus satis fuerit obnoxia, perferat. Temporis successu fauor dotis creuit, vsque dum ad maximum fere aduectus est fastigium. Vxorum conditio in repetenda dote iure pandectarum sane erat tristissima. Priuilegium enim vxoribus solummodo indulgebat personale *a)* cuius generis creditores chirographariis quidem praeferebantur, hypothecariis autem postponebantur *b)*. Imperator IVSTINIANVS postea, qui omnino feminas suam in gratiam receperat multaque priuilegia earum in fauorem introduxerat, praee omnibus creditoribus ius ipsis concessit praelationis *c)*: et licet sequente anno tacitam illis solummodo hypothecam in omnibus mariti bonis tribueret *d)* mox tamen pristinum illis confirmabat ius praelationis, ita vt etiam expressam anteriorem hypothecam habentibus antecederent *e)*. Dispositioni huic iuris communis in articulo allegato ius applaudit Lubecense, vxorique dotis intuitu ius praelationis prae omnibus tribuit creditoribus, modo dotem re esse vera numeratam praesupponatur, alias dotis non numeratae obstaret exceptio, creditoresque chirographarii, qui ius solum habent personale, anteferuntur. Eadem, qua dos, quoque dotis accessoria, augmentum nempe dotis, siue post dotem solutam durante matrimonio ab vxore doti adiciatur, siue sit dotalitium, siue dotis lucrum, vestes, ornamenta, virginalis suppellex, fruuntur praerogatiua *f)*.

*a)* L. 19. ff. de rebus auct. iud. possidendis.

*b)* L. 9. C. qui posteriores in pignore.

*c)* L. 30. C. de iure dorum.

*d)* L. vlt. C. de rei vxor. act.



e) L. 12. C. qui potiores in pignore. Nou. 97. Cap. 2. Nou. 109.

Cap. 1.

f) Art. Iur. Lub. allegatus.

### §. XII.


#### *Vt et bona Paraphernalia.*

Supereff adhuc, an ea bona, quae sub nomine paraphernalium veniunt, iura dotis, et praelationis inde ius quoque prae reliquis creditoribus habeant, disquirere. Incidit hic dissertatio mea in doctrinam plane a iure communi recedentem. Paragrapho praecedenti, dotem iure praelationis gaudere, diximus, idque iuri communi omnino est consentaneum, intuitu autem paraphernalium longe aliter disponit. Euoluamus L. ult. C. de pactis conuentis, quae vxori solummodo tacitam in bonis mariti constituit hypothecam, quae a die illationis vim accipit, minime autem vt dos creditoribus antefertur anterioribus. Quum autem illi, qui tacito gaudent pignore, in concursu creditorum in tertia collocantur classe, longe deterioris bona haecce erunt conditionis ac dotalia, quippe quae pignore gaudent qualificato, seu priuilegiato, ideoque in secunda classe locus illis assignatur iure meritoque. Quum vero legislatores Lubecenses sub voce illatorum in articulo ix. omnia bona, quae vxor marito intulit, et ita etiam bona comprehendunt paraphernalia, ex perspicua huius articuli dispositione nulla superest dubitatio, quoad hunc passum ius Lubecense a communi defectere, quum manifeste hac in re bona omnia vxoris aequiparantur. Quibuscum adhuc locus iuris statutarii Rostochiensis Part. 1. Tit. v. §. 1. quem sect. 1. §. 14. allegauimus, conspirat, paragraphusque vii. eiusdem tituli magis adhuc determinat. Plura hanc quae adhuc tangunt materiam iam in §. viii. huius sectionis sunt proposita, ad eumque lectores ablegamus.

C 3

§. XIII.





## §. XIII.

*Quando uxori bona illata persequi liceat?*

Absoluta quaestione de bonis, quorum repetitio isto gaudeat privilegio, aliam strictim adhuc attingam, quando uxori nempe res suas illatas persequi liceat? Art. quidem VIII. iuris Lubecensis de debitore mortuo, qui soluendo non est, loquitur, attamen quis est qui in dubium vocet, toties hac praerogatiua vri licere coniugi, quoties sua interfit metusque dissipationis sese exserat? Locum itaque habet in concursu creditorum viuo marito excitato, si maritus ad inopiam sese vergat, aut si ob aes alienum aufugiat, quorsum pertinet Art. VII. Lib. I. Tit. V. iuris Lubecensis.

## §. XIII.

*Vxor improlis interdum aes alienum mariti  
soluere debet.*

Quemadmodum autem nulla regula est tam firma, quae exceptionem non patiat, ita etiam vxor improlis interdum aes alienum mariti constatum ex bonis communibus soluere, erit omnino obligata, neque illata poterit reperere. Accidit hoc I) si viro, qui per luxuriam omnia consumit atque effundit, nubit, et quidem sciens prudensque, tunc enim iacturam fortunarum suarum tuto praeuidere poterit, et per consequens in solutionem debitorum, a marito contractorum, consentit, ideoque et merito stulticiae et lenitatis suae ferre debet expensum. Hic incidit: Qui se privilegio reddit indignum, iure eodem priuatur, et tamquam correa debendi habetur. Nemo quoque eos fraudare videtur, qui sciunt et consentiunt, scientique et volenti regulariter nulla sit iniuria. a) Regula, vxorem pro marito non



non teneri, non procedit, II) in marito et vxore mercatoribus, puta, communem negotiationem aut cauponariam exercen-  
 tibus, *so zu offenem Kramladen oder Markt sitzet, oder die  
 mit ibrem Manne Wirth- oder Gasschaft hült*, quoniam  
 tali casu, vxor iure quasi societatis et tamquam correa de-  
 bendi pro marito tenetur, nec poterit vti beneficio Scti Vel-  
 leiani, ne bona fide cum ipsis contrahentes inique de-  
 cipientur. Praeterea, quoniam hoc casu vxor ex negotia-  
 tione mariti lucrum et augmentum rei familiaris percipit,  
 pecunia creditoris in eius quoque vtilitatem versa esse cen-  
 setur, et pro marito inde obligatur. Ista autem solummodo  
 sunt intelligenda, quando maritus pecuniam vel merces pro  
 communi negotiatione accepit et comparauit; secus, si ad  
 suam solummodo contraxit vtilitatem, tunc enim nullo modo  
 vxor tenetur, quoniam creditum in communem non est ver-  
 sum negotiationem<sup>b)</sup>, III) Vxor obligabitur, si vitam viuit luxu-  
 riosam, fastuque immenso vel insatiabili voluptate, bona tam  
 mariti quam sua abligurire omni quasi studio annititur, pessime-  
 que rem administrat familiarem, eius itaque dolo vel culpa ma-  
 ritus ad inopiam redactus, non habeat, suis vnde possit satis face-  
 re creditoribus. Violat hic leges, ideoque eas pro se allegare ne-  
 quit, istaque erit indigna priuilegio<sup>c)</sup>. IV) Tandem quoque non  
 video, quomodo vxor sese ab obligatione, aes alienum mariti  
 contractum soluendi, possit liberare, si in credita mariti legitime  
 intercedendo i. e. curatore iudicialiter quoad hunc actum  
 confirmato, adhibito, priuilegiorumque, quae legibus mu-  
 lieribus sunt concessa, iurata facta renuntiatione, consen-  
 serit, vel in gratiam alterius pignoris sui iura remittat.  
 Quocum etiam conuenit ius statutarium Rostochiense Part.

1. Tit. v. §. x. et PHIL. BALTHASAR GERDES d).

a) vid. CARPZOV Part. 1. Const. 28. Def. 84. MEVIUS in com-  
 ment. ad ius Lubecense Art. 9. Lib. III. Tit. 1. nro. 54. LVDO-  
 VICI Concur-Proceß C. X. §. XXXVIII.

b) CARPZOV. cit. loco Def. 13. MEVIUS c. l. nro. 55.

c)





c) MEVIUS c. 1. nro. 53.

d) in diss. de differentiis inter Sctum Velleianum et Anib. Si qua mulier, ad Sctum Velleianum inter uxorem pro marito et mulierem pro extraneo intercedentem Gryphiw. CIOIOCCXXXII.

### §. XV.

#### *An liceat communioni bonorum renuntiare?*


Vxorem, matrimonium licet fuerit improle, nonnumquam tamen ad aes alienum ex bonis illatis expungendum teneri (§. praec.) ostendimus. Ex alio autem fundamento haec obligatio quam ex communione connubiali oritur. Haec etenim quoniam liberi ex consensione thalami non sunt subsecuti, anomala saltem et impropria est, ideoque tales effectus vt v. g. solutionem aeris alieni producere nequit. Communio itaque bonorum inter coniuges, susceptis liberis stabilita, hanc inducit obligationem, eamque ob rationem etiam tam arcta firmaque inter eos est coniunctio, vt quis si forte ad incitas fuerit redactus, vnus pro altero debeat respondere. Huic autem an renuntiare liceat societati, et an vxor sua bona a marito separare possit facultatibus, alia est quaestio. Tacitus quamuis, quum de communione bonorum apud Germanos veteres multa fecerit verba, generaliter adiuciat: sic viuendum, sic pereundum; attamen in terris Lubecensibus aliisque quibusdam sub conditionibus, omnino erit permixtum *a*). Vxor enim si matrimonii initio per pacta sibi prospexerit dotalia, vel ex post facto legitime, i. e. publice, quo ad omnium veniat notitiam, v. g. si curiae affigatur valuis vel literis intelligentiae inferatur formula, bonorum huic renuntiauerit communioni, obligatio haec ex illa aliter proueniens, ratione bonorum adhuc sperandorum, cessabit. Tunc enim hunc quoad passum nemo ignorantia excusare se poterit, si cum vno altero-



teroque coniugum agat contrahatque, quia quilibet communionem bonorum esse sublatam scire potuerit, ideoque ipse sibi imputare debeat, si negotium quoddam una vel altera cum parte celebrauerit, et adhuc neque marito neque mariti creditoribus in bonis, quae in uxorem essent translata, comperebat. Iure etiam Rostochiensis pactum exclusiuum communionis valere, si praevia cognitione a magistratu fuerit confirmatum, testatur Pars I. Tit. v. §. vi. et xi. Sed quod ad bona, quae semel ad communionem sunt adlata, attinet, eorum intuitu nulla renuntiatio communionis marito iamiam obaerato locum habebit eo fine, ut vxor si postea liberos adhuc susciperet amplius non teneatur de bonis propriis vi communionis mariti aes alienum expungendi. Illud si fieri posset, in Art. xi. sancitum haud legeremus, spe prolis ex ea superstitae, dotem, quam ex bonis mariti repetit, loco securo esse collocandam. Vxor autem dotem quam securo loco debet collocare (per dispositionem Art. xi. iuris Lubecensis) et quidem tamdiu usque dum adhuc spes sobolem procreandi adest (per Art. xi.) aut quaestione mota, an vxor ad aes alienum mariti soluendum teneatur nec ne? in primis an matrimonium prole ditatum an improle sit (per Art. vii. iuris Lubecensis) erit respiciendum, creditoribus mariti ius necessario debet competere, si casus existat ut maritus adhuc ex coniuge sua liberos tollat, solutionem nominis tunc ex dote reliquisque illatis vxoris virgendi, consequenter vxori non erit concedendum, ut bona, quoniam liberos non peperit, marito aere alieno obruto, ex coniugali bonorum communiione possit eximere.

a) vid. Art. xi. Lib. I. Tit. v.





## §. XVI.

*Beneficio cessionis bonorum communium ab ulteriori vexatione sese liberare potest creditorum.*

Communio bonorum vniuersalis inter coniuges, quorum matrimonium est foecundum, obtinens, duram vxori imponit necessitatem aes alienum mariti contractum ex communibus expungendi bonis. Ne autem coniux omnibus destituatur facultatibus sibi et liberis de alimentis possit prospicere, ratione bonorum acquirendorum futurarumque accessionum, legislatores Lubecenses, solita eorum, erga miseros aliena culpa personas, clementia et misericordia, tum demum liberant, si secundum Art. x. Lib. III. Tit. I. iuris Lubecensis curatores sibi dari curet, et intra sex menses domo bonisque cedat, saltem tunica et pallia mediocri quadam, qua corpus decenter tegi possit, retenta, quam olim *Heüken* vocare soliti. Ita ab ulteriori creditorum vexatione erit secura, et licet cessio secundum ius commune non sit modus tollendae obligationis neque cedentem bonis penitus ab obligatione liberet a), sed potius actio aduersus ipsam, si ad meliorem peruenerit fortunam intendenda sit integra, attamen si vxor communia relinquit bona, postea non tenebitur. Idem quoque disponit ius statutarium Rostochiensis Part. III. Tit. I. §. XXI.

a) L. I. qui bonis cedunt.

## §. XVII.

*Si res mariti saluae, matrimoniumque foecundum est, quid tunc intuitu bonorum vxoriorum iuris?*

Quid intuitu bonorum vxoriorum, si maritus aere alieno obrutus suum obit diem supremum, eorumque repetitionis




tionis ex concursu creditorum iuris sit, haecenus vidimus. Restat adhuc, ut casum, si vniuersitas bonorum mariti salua est sartaque et tunc vitam cum morte commutat, disquiramus. Ius, quod hic iterum sequimur, Lubecense iterum an matrimonium fuerit foecundum an improle, distinguit. Priori casu disponit a): „Si post omnes liberos in matrimonium elocatos, maritus diem obierit, vidua bonorum omnium possessionem retinet, bona tamen, sine heredum consensu aut alimentorum necessitate iuramento probata vendendi, oppignorandi aut donandi non habet licentiam. Si ad secundas nuptias transire, aut in monasterium aut hospitale migrare voluerit, cum liberis suis ante omnia diuidere tenetur. „ Quemadmodum communio bonorum inter coniuges obrinens secundum principia societatis in iure communi stabilita est diiudicanda, ita et hoc in casu ad eam recurramus est necesse. Sicuti enim si heredes praemortui focii cum altero socio viuo res communes indivisas teneant, ipso iure societas continuata esse censetur b); ita et communio bonorum si nempe pater sui reliquerit imaginem, qui in eius locum intrat, eiusque repraesentat personam. Non obstante, quod morte vnius focii regulariter societas finiatur c). Durante ergo adhuc hac communione, mulier quoque ius communionis administrationem nempe bonorum et ius iis vtendi fruendi retinet. Ille sicuti autem, qui rei habet commodum, incommodum quoque ferre debeat, ita etiam mulier liberis relictis alimenta praeberere et educationis curam in se suscipere debet. Eam si attingunt aetatem, qua ipsi prospicere sibi possunt, aut personam in matrimonium ducunt, tunc legitimam, dotem et donationem propter nuptias possunt exigere. Quum vero nec administratori nec usufructuario quidquam in proprietate liceat, ideo etiam matri usufructuaria alienatio non erit permissa. Quae tamen prohibitio solummodo ad res mariti, quas vxor durante viduitate retinet, non autem ad vxoris propria

D 2

propria





propria bona se extendit. Si vero ad vitae sustentationem opus est, ut bona quaedam alienari debeant, et heredes consentiant, ea tunc omnino procedit, quid? quod heredes consentire debent, in subsidium quum liberi semper ad alendam matrem sunt obligati. Conferatur ius statut. Rostochiensis. P. II. T. II. §. IV.

a) Lib. II. Tit. II. Art. VIII.

b) L. XXVIII. §. fin. L. LII. §. VI. ff. de Socio.

c) L. LII. §. VIII. L. LXV. §. VIII. ff. de Socio.

### §. XVIII.

#### *Quomodo haec detentio bonorum finiatur?*

Finitur haec bonorum mariti detentio: 1) Secundis nuptiis. Quum enim tunc tertia interueniente persona, quae de lucro bonorum sine discrimine liberorum participare nequit, nihil erit reliquum, quam matrem praeepto annulo pronubo, ad diuisionem bonorum procedere a). 2) Si vxor ingrediatur monasterium aut hospitale. Quum enim secundum principia catholicorum, bona in monasterium ingressae statim cedant monasterio, etiam hicce modus acquirendi tertiis nociuus in nostra etiam sese irrepsit tempora, ideoque etiam vidua bonorum communionem cum liberis continuare nequit b). Quibus ob iuris analogiam 3) adhuc adiungo casum, si coniux superstes bona dilapidare incipiat, tunc enim aut curator, qui administrat, erit constituendus, aut ad diuisionem bonorum erit procedendum.

a) Lib. II. Tit. II. Art. III. iur. Lub.

b) Ius stat. Rostochiensis P. II. Tit. II. §. II.

### §. XVIII.

#### *Quaenam obtineat dispositio, si matrimonium improle?*

Inter coniuges, quorum matrimonium prole non fuerit ditatum, communicio solum obtinet anomala bonorum, ideoque



que, quid iuris intuitu successionis, si maritus, cuius facultates bene sese habent, praemoriatur, adhuc examinabimus. Art. xii. Lib. ii. Tit. ii. iur. Lubecensis disponit: „Praefuncto marito, vxor improlis bona, quae marito attulit, si tantum in facultatibus sint, praecipito; deinde si quid superfit, cum mariti heredibus, in aequas partes diuidito. Praecipit ergo omnia bona, quae marito attulit et adhuc diuidit cum mariti heredibus. Mulieris patrimonium, dos nempe ante omnia erit restituenda, quia illa soluto matrimonio debetur, et dominium, quod antea erat quiescens, reuiuiscit. Bona paraphernalia, ea a marito sic donata, ut eorum ad coniugem perueniret dominium a) qualia sunt anulus pronubus b) praemium quod nouae nuptiae post primum concubitus affertur, Morgengaba nempe, arrhae sponsalitia, vestes, ornamenta muliebria, utensilia c) donaque nuptialia d). Omnia tamen haec solummodo debentur quatenus adhuc exstant, *so ferne es vorhanden*. Praeterea gaudet adhuc portione statutaria i. e. portione hereditatis ex bonis defuncti coniugis superstiti lege debita. Haec ex aequissima legumlatione Germanorum descendit, quippe qui in solatium orbitatis et remunerationem fidelis amicitiae coniugalis et bonorum malorumque consortium aliquam partem ex hereditate defuncti ad superstitem deferendam putauerunt. Quantitas huius portiones mirifice secundum mores prouinciarum variat, iure tamen Lubecensi dimidiam partem bonorum ex praedefuncti hereditate mariti vxores possunt exigere. Quibuscum etiam consentit ius statutarium Rostochiense e).

a) Art. v. Tit. ii. Lib. ii. verbis: *hat er ihr darüber etwas gegeben.*

b) Art. iiii. Tit. ii. Lib. ii.

c) Art. iiii. Tit. v. Lib. i.

d) Art. viii. Tit. vii. Lib. iiii.

e) Part. ii. Tit. ii. §. xxii.





§. XX.

*Conclusio.*

Filium hic abrumpo, et si forsan, candide lector, tuae non omni ex parte fecerim satis expectationi, beneuole condonabis, quum in nullo penitus peccare diuinitatis magis quam mortalitatis sit. L. II. §. XIII.

C. de vet. iur. enucl.



NOBILISSIMO ac DOCTISSIMO

IOANNI CHRISTIANO PRIESIO


S. D. P.

CAROL. FRIDER. WALCHIVS D.

Quum iam dudum admiratus sum morum TVORVM elegantiam, aequae ac laudabilem, qua legitimis disciplinis operam dedisti industriam: exoptatissima profecto mihi est occasio, publice id declarandi, quam certamen illud publicum, quod meditaris, mihi suppeditat. Proponis in illo amicis TVIS ad disputandum excellentem ingenii TVI foetum, libellum illum, qui scientiam TVAM iuris patrii aequae ac peregrini abunde comprobat, quae ita est comparatus, ut religioni mihi ducerem, quidquam in illo mutare; vel addere, ac per id de laude TVA aliquid detrahere. Qui paullo intentius eum perlegit, praeuidet ingenii acumen, quo tela aduerlariorum in ipso confictu abs TE remouebis ac gloriam, quam ex illo es reportaturus. Et quidni ego idem

TIBI





TIBI augurari possum, qui in recitationibus meis ac potissimum iis, quibus selectiora ingenia in re iudiciaria atque arte ex actis referendi exercui, testis ac spectator existi progressionum eximiarum, a TE iure factarum; neque minus in privatis certaminibus animo tuo prompto atque alacri ad pugnandum delectatus sum maximopere. Honorificum itaque mihi est munus, quod mihi hac in pugna credidisti, mihique gratulor, quod mihi liceat comitari in illam ciuem, cuius exemplum dignum est, quod reliquis commilitonibus proponatur ad imitandum; immortalis autem deus ex animi sententia omnia, quae suscipies, succedere iubeat, TIBI-que campum aperiat, quo in commodum patriae TVORVM-que solatium virtus TVA excurrere queat dignoscique.

Scribebam Ienae, d. xvii. Apr. c1010cclxxiii.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

D. IO. BERN. CHRIST. EICHMANNVS

CVRIAE PROVINCIALIS SAXONICAE ADVOCATVS.

Quum in me benigne conferre voluisti dissentientis prouinciam, eo maiori eam voluptate suscepi, quo exoptatam nactus sum occasionem, publice TIBI declarandi, quanti TE faciam, quantique TE aestimem, atque quanta mea sit voluptas, cum TE sub Praefidio ILLVSTRIS WALCHII eleganti a TE conscriptum studio libellum academicum conspiciam defendentem. Faxit summum, quod veneror, atque veneramur, numen, vt virtute et doctrina TVA digna TIBI contingat fortuna! Illius laeta dat TIBI praefagia plausus, quem hodie in ingeniorum consequeris palestra. Quod reliquum est, vt me ames, TIBIque persuadeas, rogo, me omni tempore pro salute TVA, qua nihil mihi est antiquius, nihil prius, vota nuncupaturum esse ardentissima. Ienae d. 17. April c1010cclxxiii.

MON-





MONSIEVR!

Rien n'est plus flatteur, que de se voir en état de donner des preuves publiques de son application à l'étude, et des progrès qu'on y a faits. Tel est le cas où Vous Vous trouvez, Monsieur; et Vous me permettez de Vous en faire mon compliment. Vous allez convaincre tous nos savants Jurisconsultes que Vous marchez dignement sur leurs traces, et que bientôt même Vous irez de pair avec eux. Quelle joie pour Vous, Monsieur, quelle satisfaction pour votre illustre Famille et pour Votre chère Patrie! Puissiez-Vous vivre encore longues années, et jouir des honneurs si justement dus à Votre mérite et à Votre Savoir! Tels sont les vœux sincères que je fais, et que je ferai toujours pour Vous; et en Vous demandant instamment la continuation de Votre amitié et de Votre bienveillance je vous proteste que je ferai toute ma vie avec l'estime la plus distinguée,

MONSIEVR,

Jena, ce 17. Avril  
1773.

— Votre très-humble et très-obéissant Serviteur,

I. BOULET.

— VIRO PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONENTI

AMICO SVO LONGE AESTVMATISSIMO

S. D. P.

A. D. WEBER, ROSTOCHIENSIS, I. V. C.

OPPONENS.

Tanta semper TVA, VIR PRAENOBILISSIME atque DOCTISSIME,  
in arduo Legum studio addiscendo fuit diligentia, ut quum huic praeter



ter optimam animi indolem egregia quoque accedit ingenii TVI faci-  
 litas, non potuerit fieri, quin nunc vitae academicae curriculo finito  
 solida praeditus sis doctrina. Huius primitias enucleandis explanandis-  
 que patriis statutis tribuens non satis es laudandus. Marco enim  
 Tullio teste omnia quae nobis, quaeque aliis debemus officia, patria  
 complectitur. Quam valde autem, quamque egregie hac in re de  
 patrio meritis sis municipio doctissimus testatur libellus a TE conscri-  
 ptus, ex quo luculentissime videndum est quam probe usus sis tem-  
 pore studiis TVIS destinato. Caeterum quam maxime TIBI gratum  
 profiteor animum, quod opponentis prouinciam mihi delatam volue-  
 ris, quam ob rem agnosco TVAM in me benevolentiam, quin illam  
 amplector, idque eo magis eoque lubentius, quo iucundior mihi est  
 occasio, publice TIBI declarandi quanti TE aestumem quantique TE  
 faciam quem in finem praecipue hasce partes suscipio. Pro ea autem  
 amicitia quae semper nobis intercessit integerrima, vt in posterum et-  
 iam me amare TVAEQUE benevolentiae, qua nihil vnquam mihi ca-  
 rius fuit commendatum habere velis etiam atque etiam TE

rogo,

VIRO

PRÆNOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO

IOANNI CHRISTIANO PRIES

S. D. P.

CHRISTIANVS HENRICVS LANGE


ROSTOCHIENSIS

OPPONENTIS.

Quantum TIBI debeam, quod mihi munus dissentientis demandaueris,  
 facili modo potes diiudicare, si in mentem TIBI reuocas voluptates  
 eas, quas ex doctis TVIS mecum inlitutis percepi sermonibus. Sane  
 nulla maior esse potest laetitia, quam quae ex nostra necessitudine in  
 me redundauit. Vidi diligentiam TVAM, vidi operas TVAS, quas  
 perpendisti ad adipiscendam eruditionem, cuius finis patriae nostrae  
 longe carissimae est felicitas. Et quod magis est, in posterum etiam  
 TE mihi licebit familiariter vti, vt exemplum habeam, secundum quod  
 operas

E





operas meas ad communem possim dirigere salutem. Hinc nil mihi vni-  
quam erit in votis, quam vt TVAM in me conferues benevolentiam,  
qua mihi nihil carius, nihil esse potest acceptius.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI  
COGNATO ET AMICO SVO COLENDISSIMO  
S. D. P.  
CHRISTIANVS LVDOVICVS SCHROEDER

KOSTOCHIENSIS.

**A**rtissimis vinculis propinquitatis TECUM coniunctus sum et a ma-  
gna pueritia TECUM mihi familiaritas fuit, quam huc vsque sancte ser-  
uauimus. Quid mihi igitur gratius, quid mihi acceptius accidere po-  
tuisset, quam vt mihi occasionem offeras, ad amorem erga TE meum  
declarandum? Ast quibusnam verbis laudem TVAM consequar? Iam  
in patria, nisi omnibus, tamen permultis antecellere ingenii et dili-  
gentiae gloria TIBI configit, et in hac Academia tanta semper fuit  
industria TVA, vt exinde TIBI summa nata sit gloria. Specimen  
TVAE doctrinae ac ingenii est ista disertatio, quam summo cum ho-  
nore sine dubio defendes. Maxima cum laude et adsensu omnium  
relinques arenam et paulo post hanc musarum sedem. Patria nostra  
TE expectabit ad soluenda TIBI praemia promerita solertiae ac erudi-  
tionis TVAE. Testis ero inuenerim atque honorum TIBI delatorum.  
Et quanta mea erit voluptas! Quantum meum erit gaudium! si sum-  
mis florebis honoribus et mihi concedes inter amicos TVOS annumerari.  
Sed cur hac de re dubito? Iam tot mihi dedisti amoris erga me TVI  
specimina, vt certe sperare possim, fore vt posthaec consuetudinem et  
amicitiam erga me conferues. Perpetua vt felicitate floreas, vt omnia,  
quae suscipis prosperum habeant euentum et vt me habeas TIBI dede-

issimum atque commendatissimum opto. Dabam tamen om-

niae MDCCLXXII.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO AVCTORI

S. P. D.

I. C. PETERSEN

TH. C. ROSTOCH.

Iam in eo es, mi PRIES, vt eruditionis TVAE, iis sane, quibus aliquis TECUM vsus fuit, satis cognitae, specimen des luculentissimum. Quem quidem studiorum TVORVM exitum augurari diu potui, quum mihi prae aliis licuerit, vt testis sim et ingenii TVI praecleari, et aeque praestantis diligentiae. Eo minus autem impetrare a me possum, vt hanc qualescunque meas aliorum iungendi gratulationibus praetermittam occasionem. Certo enim praevideo certius, ipsam hanc rem ad honores facturam esse citius in patria dulcissima adsequendos, nec defutura TIBI, quibus diligentia TVA dignum TE reddidisti, praemia. En ea, quae sine dubio euenient, quibus vnicum adhuc aditio votum, vt incolumem TE Deus in patriam iubeat reuerti, vt seruet TE, ad quacuq; quae aget, prospere agenda. Dabam

Icnae, d. XVII. Apr. CIOIOCCCLXXIII.

## MONSIEUR,

C'est avec la plus vive joie du monde, que je fais la plus vive et la plus publique des félicitations à votre savante et solide érudition, dont vous allez donner les plus éclatantes preuves par votre Dissertation. Je vous en félicite donc de tout mon cœur; mais j'en félicite encore d'autant plus votre illustre famille, de voir continuer en vous la gloire de vos célèbres ancêtres; et votre Patrie, de recevoir un homme qui lui fait tant d'honneur. Je souhaite que vous obteniez bientôt une récompense de votre diligence proportionnée à votre mérite. Mais en même tems je vous prie instamment de me

con-





conferver VO TRE amitié, qui m' est des plus chères. En mon particulier soyez persuadé, que personne n' est avec plus de passion, que je le suis

MONSIEUR,

Iena ce 17. Avril

1773.

Votre très humble Serviteur et sincère Ami

CHRISTOFLE RICHTER.

de Rostoque.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

AMICO LONGE AESTVMATISSIMO


S. P. D.

GEORGIVS HENRICVS ROGGENBAV

ROSTOCHIENSIS,

Nihil mihi vnquam neque iucundius neque optabilius esse potuit, quam vt TIBI obseruantiam meam summumque amorem, quo TE semper amplexus sum, declarare possim. Nec consuetudo, nec vlla vnquam causa, sed favor TVVS, nec minus amicitia TVA, quam quouis auro cariorum aestimo, in causa sunt, quare etiam congratulantium sinceris votis mea qualiacunque addam. Eruditio TVAE ac singulares TVAE ingenii dotes patriae satis patent. Igitur necesse est, vt non solum TIBI, sed etiam omnibus TVIS amicis, et patriae nostrae gratuler, imprimis quum TV hodie specimen diligentiae et industriae edas. Conferuet TE immortale numen in felicissimo statu, meque in posterum TVVM amicum agnoscas velim. Id quod ex candore animi profiteor, ominor, adprecor.

Vale, dabam Ienae, d. XVII. Apr. C1773. CCLXXIII.





V I R O  
MAXIME REVERENDO  
AMPLISSIMO AC DOCTISSIMO  
D O M I N O  
PETRO GERLINGIO  
PHILOSOPHIAE DOCTORI CELEBERRIMO,  
ET  
MINISTRO VERBI DIVINI AD AEDEM  
MARIANAM ROSTOCHIENSEM  
PRIMARIO  
VIGILANTISSIMO, MERITISSIMOQVE  
FAVTORI SVO  
PERENNI CVLTV SVSPICIENDO



DISSERTATIONEM HANC ACADEMICAM  
IN SVBIECTISSIMAM DEBITAMQVE ANIMI  
DEDITISSIMI TESSERAM  
CVM APPRECIATIONE FATORVM VOTORVMQVE  
SECVNDORVM

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA  
DICAT, CONSECRAT

AUCTOR





Jena, Diss.; 1772-74



f  
56.









22  
E. 26. num. 80.  
1773, 4  
15

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**DISCRIMINE**  
**BONORVM VXORIORVM**  
IVRE ROSTOCHIENSI PART. I. TIT. V. §. I.  
SVBLATO

QVAM  
P R A E S I D E  
CAROLO FRIDERICO WALCHIO

I. V. D. AC PANDECT. PROF. PVBL. ORDINARIO SERENISS. DVC.  
GOTHAN. ET ALTENBVRG. CONSILIAR. AVLIC. CVR. PROVINC.  
SAXON. COMMVN. SCABINOR. COLLEGII AC IVRECONS. ORDINIS  
ADSESS. SOCIET. LATIN. IENENSIS EPHORO ET FLORENTINAE  
COLVMBARIAE DVISBVRG. AC BREMENS. LITTER. COLLEGA

H. T. ACADEMIAE RECTORE MAGNIFICO  
D. XVII. APRIL. CIOCCCLXXIII.  
PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT.

A V C T O R  
IOANNES CHRISTIANVS PRIES  
ROSTOCHIENSIS.

I E N A E  
LITTERIS STRAVSSIANIS.

